



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Art. I. De Pacti Natura, Varietate & Vi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS XXXV.

De Pactis.



Is Treuga & Pax induci firmarique, & controversia non solum jam ortæ finiri sopirive: sed, ne facile excitari queant, partes convenire solent & impedire.

ARTICVLVS I.

De Pacti Natura, Varietate & Vi.

SUMMARIUM.

1. Pacti etymon,
2. Definitio,
3. Et differentia à Pollicitatione, Contractu, Transactione:
4. Ab Ultima voluntate & iudicio Senatorum &c.
5. Divisio in Publicum & Privatum,
6. Expressum & Tacitum,
7. Nudum & Legitimum,
8. Nudum diversimodè Legitimum evadit.
9. Secundum aliquos adjectione Juramenti:
10. Quod alii verius negant.
11. Ex speciali Juris assistentia ipsum.
12. Et Pollicitatio etiam Actionem aliquando producit:
13. Quæ assistentiâ cessante, ista,

14. Et votum etiam exigat acceptationem.
15. Nudum Pactum obligationem Naturalem:
16. Non etiam Actionem producit à Jure Civili.
17. Canonico eam produci, aliqui affirmant:
18. Melius alii negant:
19. Etsi affirmantium Opinio non curat probabilitate.

Pacti nomen, Juridicè videtur à Pactum 1. 1. de V. S. à Pace: Ulpianus hanc & ipsum Pactum à Pactione, l. 1. §. 1. ff. de, cuius pactum est effectus: Gonzalez eadem in c. 1. n. 9. Grammaticali derivatione ipsum & Pacem, atque etiam Pactionem, à priscis verbis Pago cum Comano Lib. 5. Comment. cap. 1. n. 8. vel cum Festo V. Pax à Paco, idem quod Pactionem denotantibus, deduci volunt.

Sumitur autem Pactum in Jure etiam quando specificè pro Conventione, Contractui opposita, l. Jurisgentium 7. §. 4. & 5. ff. l. Legem 10. C. hic & l. Doli 19. ibi, Contractibus & pactionibus ff. de Novat. Aliquando, ut l. Si meus 27. §. 2. ff. hic l. Duo 71. ff. pro Socio & l. Ex Arbali pacto 3. C. de Action. emp. &c. saltem in nobis proposita Rubrica illique subjectis textibus genericè, prout conventionem

ventiones planè omnes, ac proinde etiam reciprocas & Contractus includit. Quò modò sumptum ab Ulpiano dicitur esse duorum consensus vel conventio, *l. Pactum 3. ff. de Pollicit.* & explicatius *l. 1. cit. §. 2.* duorum pluriùmve in idem placitum consensus, subintelligit, *De dando aliquo aut faciendo, cum Glossa ibi V. In idem.* Unde

3. Differt Pactum, imprimis à Pollicitatione, sive promissione simplici & nondum acceptatà; quòd ista tantum unius, nempe solius offerentis, promissione: pactum autem duorum pluriùmve consensu & conventionione perficiatur, *l. cit. l. 1. §. 2. & l. Pactum 3. junctà Glossa ff. de Pollicit.* Deinde, à Contractu & Transactione, sicut genus à specie; quia Pactum quascunque: Contractus autem proprie acceptus eas duntaxat conventioniones comprehendit, quæ *ovà à à yua*, hoc est, ulro citroque obligationem pariunt, ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas &c. *l. Labeo 19. ff. de V. S.* Transactio verò eas tantum, quæ de re dubia & controversa, aliquò datò, retentò, remissò vel promissò inveniuntur, *l. Transactio 38. C. de Transact.*
4. à Testamento quoque & Codicillo omnique alia Ultima voluntate; quòd ista unius tantum voluntate: pactum autem duorum aut plurium consensu confert. Et demum à Consiliariorum & Doctorum, in idem conspirantium iudicio ac sententia; quòd, licet ista duorum pluriùmve in idem placitum consensus: non tamen, ut Pactum, de datione aut factò aliquo alteri ab altero præstando sit, ut ex consentientium intentione in eorum uno agendi aut recipiendi jus, in altero præstandi obligatio oriatur.

5. Pacti hætenus declarati partitiones præcipuæ tres: & istarum prima est in Publicum & Privatum: quorum illud ob

causam publicam sive Reipublicæ, ut fœdera, pax, induciæ per eum, penes quem suprema potestas est: illud ob privatam utilitatem initur, *l. Conventio num 5. ff. hic.*

6. Altera in Expressum, quod paciscentium consensu verbis, per epistolam, aut aliò modò palam declaratò initur: & Tacitum, quod eorundem consensu, ex factò aliquo præsumptò, initur intelligitur, *l. Labeo 2. ff. eodem.*

7. Tertia, eaque celeberrima in Nudum & Legitimum: Illud, sive simplex pactum est, quod *In nudis placiti scribis stat, l. Si tibi 27. C. de Locato*, sive, quod solo paciscentium consensu seu conventionione & naturali æquitate nitur ita; ut neque proprium nomen certi Contractus sortiatur, neque præter conventionem aliam habeat causam, vg. dationem aut factum unius ex paciscentibus, neque etiam formam aut solennitatem, à qua ad efficaciter obligandum & Actionem, de Jure saltem Civili producendam accipiat, firmitatem, vg. si inter duos placuit, libros suos commutare; hæc enim conventio ante libri traditionem ab altero factam pactum Nudum vocatur; quòd neque speciale nomen, neque etiam causam habeat, neque aliud quidpiam, ratione cuius actionem de Civili Jure producat. Legitimum sive, ut passim, sed vulgi potius usu, quàm Jure proditò vocabulò nuncupari solet, Vestitum pactum est, quod ultra simplicem partium conventionem transit in proprium nomen Contractus vg. emptionem, venditionem, locationem, conductionem, vel accedens aliud adminiculum vg. traditionem, factum, stipulationem, vel adjunctionem ad contractum nominatum habet, ratione cuius efficacem obligationem & Actionem parit. Ita Interpp. *ad c. 1. hic & l. Juris gentium cit. & ceteri DD. passim.*

Xx xx 3

Pacta

8. Pacta Nuda diversimodè vestiuntur, atque, ut Legitimorum instar Actionem seu conventionem judicialem producant, confirmantur: Et primò quidem, si, ut jam dictum, transeant in contractum Nominatum in genere suo perfectum v.g. Emptionem, Locationem; Commodatum, *l. Jurisgentium cit. pr.*

Secundò, si ex altera parte secuta sit traditio sive impletio promissionis, prout fieri solet in Contractibus Innominatis v.g. si ex duobus, inter quos convenit de libris suis commutandis, sui libri traditio ab uno alteri sit facta, *l. Naturalia §. ff. de Prascript. verb. Molina Trañ. 2. de J. & J. disp. 255. n. 4.*

Tertiò, si ei accedat Stipulatio, v.g. si uno interrogante, *Promittis te mihi pro equo duos boves daturum.* alter respondeat, *Promitto, l. Ex placito 3. C. de Rev. permut.*

Quartò, si in continenti adjungatur pacto legitimo, v.g. cum quis domum suam alteri vendens vel locans in continenti, sive antequam ad alia divertat, cum eo paciscatur de adiacente agro colendo; tale enim pactum per coherentiam cum venditione vel locatione ita firmatur, ut ex eo Civilis obligatio & actio oriatur, *l. Jurisgentium cit. §. 5. Molina l. cit. num. 5.*

Quintò, si pactum fiat in judicio; tale enim ad agendum proficere, in *l. Licet 3. ff. de Pecul.* notat Bruneman, *n. 8.* & ex *l. Cum ostendimus 4. ff. de Fidejuss. & nominat. Tut.* delimit Wesenbecius in *ff. ad hanc Rubr. n. 9.* id, quantumvis negent alii, eà suadens ratiõne; quòd in judiciis quasi contrahatur, *l. Licet cit. §. 11.* ex quasi contractu autem obligatio & actio oriatur, *pr. Instit. de Oblig. ex quasi contr. &* quæ in judiciis fiunt, exuperent omnem contractuum solennitatem.

Sextò, confirmari hodie pacta so-

lent per publica instrumenta tabellaria, aut etiam simplices scripturas, ab ipso promittente subscriptas & obligatas, Panormit. in *c. 1. n. 4.* Wesenbec. *l. cit. & Laiman Lib. 3. Trañ. 4. cap. 8. n. 2.*

Septimò, eadem sive nuda pacta, & actione juramenti confirmari & actionem producendæ vim nancisci, cum Coverto via in *c. Quamvis 2. in 6. p. 2. §. 2. n. 26. cit. Molina disp. 258. n. 4. Lellio Lib. 2. de J. & J. cap. 17. n. 23.* & alia vult Haunoldus *Tom. 3. de J. & J. Trañ. 8. n. 20.* quòd, cum juramentum ante Jure civili invalidos confirmandi in pubeat, *auth. Sacramenta puerum C. Si uerf. vendit. arg.* à fortiori ei adhibenda sit vis, confirmandi nuda pacta sive conventiones, suã vi obligationem naturalem in foro Conscientiæ inducentes, à melius alii, sicut de actibus Jure Civili irritatis aliter sentiunt, sic etiam nuda pactis actionis producendæ vim à juramento adjecto conferri negant; quòd hujusmodi vim juramentum non habeat ex sua natura; cum suæ naturæ relictum Religionis duntaxat, non Justitiæ obligationem pariat: neque etiam ex legis stipulatione; cum, quæ eam vim juramento conferat, lex nulla uspiam extet, ut *Lik. 4. Tit. 24. art. 6.* ostenditur.

Octavò denique, ex speciali assistentia sive privilegio Juris, quantumvis modo consensu ineantur, actionem producunt pacta Sponsalitia, sive de futuro matrimonio simpliciter & absque stipulatione conventa, *l. Sufficit 4. ff. de Sponsal. promissio dotis, l. Ad exactionem 8. C. de Dotis promiss. simplex donatio sive promissio de donando, l. Si quis argentum 35. §. 5. C. de Donationib. pactum, quò quis promittit solutionem debiti alieni; vel, quò debitum proprium aliò die vel locò se soluturum constituit; tali enim promissione obligationem efficacem & Actio-*

& Actionem Civilem, quæ de Constituto appellatur, produci, patet ex l. 1. l. Quod si 2. ff. de Constit. pec. §. De constituta 9. Insti. de Actionib. Glossa in l. Jurisgenium cit. §. 4. V. Igitur & cit. Molina disp. 255. à n. 8.

12. Quin, ex simplici etiam Pollicitatione Reipublicæ, in gratitudinem ob honorem ab ea acceptum aut accipiendum; vel in reparationem ædificii, terræ motu, incendiò, vel aliâ ruinâ destructi: vel ad promovendum, quod ab ea captum est, opus factâ, obligatio nascitur; ut, quod promissum est, exigi queat, lege id constituyente & antecedenter quodammodo acceptante, l. Pactum 3. l. Propter incendium 4. l. Ob casum 7. Et. ff. de Pollicitat. Haunold. cit. Traët. 9. n. 22. Quorum textuum dispositionem ad pollicitationes Ecclesiæ, infanti seu rationis usu carenti, aut alteri piæ causæ factas, perperam aliqui extendunt, apud Sanchez Lib. 1. de Matrim. disp. 6. n. 16. Nisi ejusmodi promissiones Ecclesiæ vel alteri causæ piæ fiant ob honorem Dei; ut Deo potius quam homini vel alii rei creatæ promissum censetur; cum enim sic facta promissio voti rationem habeat, omnino obligabit, ut cum Bartolo in l. Illud 2. C. de SS. Eccles. n. 6. & Sylvestro V. Pollicitatio idem advertit n. 17.

13. Extra casus itaque, ll. cit. relatos, ex Pollicitatione, sive nudâ & non acceptatâ promissione, ullam etiam naturalem tantum & conscientiæ obligationem non nasci, convenit inter plerosque alicujus nominis DD. quòd, seclusâ speciali legis dispositione, ut ex promissione quis alteri obligetur, necessarius sit mutuus consensus utriusque, l. 1. §. 3. ff. hic. Unde, isto deficiente, ac proinde ante acceptationem, promissio revocari libere potest; cum ejus revocatione promissarii jus aliud quod aut fides data non violetur, l. Si Pa-

ter 4. V. Sin autem ff. de Manumiss. vindicta, Clarus §. fin. q. 12. n. 3. cit. Covarruvias §. 4. n. 25. & Molina disp. 263. n. 1.

Neque communi huic DD. sensui 14. adversatur; quòd vota semel edita nequeant revocari; quia alia istorum, & alia ratio est homini factarum promissionum; cum enim Deus votum sive factam sibi & animò solummodo conceptam atque ad se directam promissionem: homo autem non nisi signis externis proditam sibi que manifestatam, cognoscat, juxta illud, Homo videt ea, qua parent, Dominus autem intuetur cor, 1. Reg. cap. 16. v. 7. Deus votum, hoc ipsò; quòd eò facta promissio de meliori bono sit, statim postquam editur, acceptare potest, & propter summam voluntatis suæ relictitudinem censetur. Homo autem sibi factam promissionem, antequam sibi manifestetur, acceptare non potest: neque, priusquam signò aliquò externò declararet, censetur. Quare mirum non est, quòd homini factæ promissiones ante acceptationem declaratam: non etiam vota obnoxia sint revocationi, S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 1. §. 3. in C. cit. Sanchez disp. 7. n. 18. & Laiman Traët. 4. cap. 1. n. 3.

Pactis autem sive promissionibus acceptatis & Jure non irritatis quibus- 15. cunque; ac proinde etiam Nudo seu simplici, obligationem præstandi, quod promissum est saltem Naturalem, conscientiam adstringentem induci, indubitata sententia est IT. & JCT. um id defumentium partim ex claris textibus l. 1. ff. hic l. In his §. 2. ff. de Solutionibus: quarum priori, Edicti de Pactis observandis æquitas, esse Naturalis & congrua fidei humanæ: posteriori, ex iis ipsæ etiam usuræ, ac proin multò magis aliæ res promissæ deberi, asseruntur; ut meritò pactorum, quæ neque dolo neque contra leges inita sunt, observantiam pollicitus sit &

fit & exceptionem adversus paciscentem concesserit; Prætor, *l. Jurisgentium cit. §. 4. & 7.* atque ejus, quod ex tali etiam pacto solutum est, repetitionem cum Paulo JCTO *l. Debitor §. 9. §. fin. ff. ad S. C. Trebell. Imp. negarit, l. Cum proponas 21. C. hic:* partim ex ratione; quia pacta & conventiones, etiam nudæ, inveniuntur consensu, verbis expressis & acceptatis: cujusmodi consensum, si de re licita initus & Jure irritatus non sit, ad se naturaliter & in conscientia obligandum sufficere, ex communi DD. sensu tradunt Sylvester *V. Pactum n. 4. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 17. n. 19.*

16. Iisdem, sicut si legitima evadant, aut istorum vim speciali Juris privilegio obtineant, Actionem produci, ex dictis planum est: ita, si omnino nuda & privilegio aut aliò adminiculò munita non sint, Actionis producendæ vim eis non inesse, ex *cit. §. 4. l. Divisionis 45. l. Legem 10. & l. In bona cit. & passim* obviis iuris certum, & recepta ratio est; quòd, non passim & ex quovis pacto agi, quietis & felicitatis publicæ interfit; ne ex iis, facile & quotidie initis, ortarum & in dies subnascantium novarum litium multitudine Curia & tribunalia obruantur; cum Reipublicæ vix aliquid magis, quàm copiosa litium seges, sit pernitiosum, *c. Finem 5. de Dolo & l. Propterandum 13. C. de Judiciis, Canisius in c. 1. n. 4. Ubi*

17. Dubium & DD. in utramque partem magnò numerò militantium concertatione celebrata controversa est, an hujusmodi pactum Actionem de Jure saltem Canonico producat. Id enim cum Panormit. & Felino *in c. 1. cit.* defendunt Gomez *Lib. 2. Var. cap. 9. n. 2.* Gutierrez *de Juramento p. 1. cap. 34. n. 2. cit.* Covarruvias *§. 4. n. 14.* Molina *disp. 257. n. 2.* famigerati duo Collegii nostri Ju-

ridici Antecessores, Canisius *in c. 1. cit. n. 2. & Besoldus Lib. 2. Pandect. ad hanc Rubric. & præter alios novissimè Pirhing ad hanc Rubric. n. 35.* propter textum *cit. cit. & c. Qualiter 3.* quorum priorum Antigono adversus Optantium ex pacto (inter Nudum & Legitimum non distinguendò) conventum, utique propositum, ut inquit, Actione, Concilii Carthagenensis PP. Universi pronuntiarunt, *Per severetur, Pacta custodiantur.* Polleto-ri Gregorius M. *Studiose agendum,* inquit, *ut ea, que promittuntur, operentur.* Rationem reddunt; quoniam pactum etiam nudum implendi obligatio in conscientia detur, ejus violatio in-venit peccatum: cujus continuatio et re-tinetur, SS. Canones, qui conscientia ho-minum consulere intendunt, *c. Novus 29. de Judiciis & c. fin. de Prescrip.* pactu-rum observationem præcipiendò, adver-sus contravenientem indulgentiam ad Actionem, tanquam medium efficiendò eorum observantiam & peccati evitatio-nem obtinendam.

Nihilominus, hoc etiam Jure ex *pro 11. de nudo Actionem produci, cum Sylvester in l. Legem cit. q. 7. & Aleciato Lib. 5. Pra-radox. cap. 3.* negant Fachinus *Conver-vers. lib. 2. cap. 100.* Zezelus *ad hanc Rubricam ff. n. 6.* Connanus *Lib. 5. Com-ment. cap. 3.* Gonzalez *in c. 1. cit. n. 1.* Palao *Tract. 32. disp. 1. p. 3. n. 4.* Har-dus *Tom. 3. de J. & J. Tract. 8. n. 42.* & alii, permoti partim; quòd à Jure Civili recedendum facile non sit, nisi manifesta decisio Canonica in contrarium ha-beatur, *arg. c. 1. & c. Cum ex injunctis 2. de Novi Oper. nunt.* nullus autem exet-canon, quò ex nudo pacto, Civili Jure ne-gata, Actio concedatur: partim; quòd SS. Canones à litium & controversiarum judicialium frequentia perinde, ut leges civiles abhorreant, *c. Finem 5. & c. fin. de Dolo.*

Dolo : & propterea adversus ludentem infra justii pretii dimidium, licet graviter peccet & pretii defectum supplere in conscientia teneatur, Actionem negent, *c. Cum dilecti 3. & c. Cum causa 6. de Empt. & Vendit.* ubi hæc tantum ultra dimidium læsis adstruitur, sicut de Jure Civili, *l. Rem majoris 2. c. de Rescind. vendit.*

In contrarium allata DD. isti facile enervant; & imprimis quidem, *c. Qualitas cit. opponunt l. Jurisgentium cit. §. 7.* quâ, licet Prætor dilertè asserat, *Pacta servabo*, Jure tamen Prætoris quoque, non Actionem, sed Exceptionem ex pacto nudo competere, DD. passim notant. Deinde, *c. 1. cit.* non de Nudo, sed de Legitimo pacto sermonem esse, volunt partim; quòd in pacto, inter Antigonum & Optantium Episcopos inito, præterquam quòd instrumentum super eo confectum & utriusque manu subscriptum sit, intervenerit actualis divisio plebis sive Episcopatum, atque ex parte Antigoni impletio conventionis, ut ex *c. cit.* integra lectione à Gonzalez relata liquet; partim; quòd eò adversus Optantium non proposita Actio, sed manifesta ejus injuria laudati Concilii Patribus canonicè denuntiata, istorumque officium ab Antigono fuerit imploratum: & ab ipsis initæ pactiõnis violatori in pœnam disciplina Ecclesiastica, sive excommunicatio, fuerit constituta. Unde, istò etiam textu nudè pacifcenti veram Actionem sive conventionem judicalem indultam, minime infertur. Demum, ut pacta custodiantur, eorumque violatione peccata non continentur, satis caveri existimant per Canonicam denuntiationem vel implorationem officii judicis; ut peccatum continentem compellat ad pactiõnis observantiam, ut rectè advertit *cit. Palao n. 9.* sicut ad contractum metu levi impulsus, eòve infra justii pretii dimidium læsus,

licet Actionem directam non habeat, metum tamen inferentem & ludentem judici denuntiare, ejusque officium implorare potest; ut contractum rescindat, aut ludentem ad ejus pretii defectum supplendum compellat: atque hæc ratione tollatur peccatum, quòd aliàs continuaretur, *arg. c. Novit. 13. de Judiciis Fachineus cit. Lib. 2. cap. 25. & Sanchez Lib. 4. de Matrim. disp. 9. n. 5.*

Ex duabus his Sententiis, sicut am- 19. plector posteriorem, sic omnino probabilem cenleo priorem; partim ex eo; quòd *c. 1. cit.* Actionem ab Antigono intentatam, non obscurè indicare videatur vox *Conventus*, quæ denotat Actionem: & licet inter memoratos Episcopos initum pactum fuerit legitimum, textus tamen in Decretales relatus eorum, quæ hujusmodi pactum significant, nullam faciunt mentionem, procul dubio, ut ejus dispositio omnibus etiam nudis pactis esset communis, ut probè advertit Fagnanus in *c. 1. cit. n. 20.* partim verò; quia hujus sententiæ etiam adversarii passim fatentur, ex nudo pacto serio & deliberatè inito, Actionem dari ex Consuetudine; quæ in dubio sacros Canones interpretari potius, quàm corrigere censetur, *arg. c. Cum expediat 29. pr. de Elect. in 6. & l. Precipimus 32. in fine C. de appellat.*

ARTICULUS II.

De iis, inter quos Pacta ineuntur.

SUMMARIUM.

20. *Pacisci possunt omnes, qui non prohibentur.*
 21. *Prohibentur, qui consensum non habent.*
 X y y y 22. *Vel*